UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

5. De Invocatione SS Apostol ac SS. Martyrum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

mea. Inquilini domus meæ & ācillæ meæ ſicut alienū habuerunt me. Equidem ſacer textus exprimit: *Egreſſus Satan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſq; ad verticem.* Chaldæus autem vertit ſcabiem lepræ & elephantiaſi coniunctam, ait S. Chriſoſtomus, Simul podagra & chiragra laboraſſe ex cap. 16. quidam colligunt ex verſu. 8. vbi dicit: *Nunc autem oppreſſit me dolor meus & in nihilum redacti ſunt omnes artus mei* Et ex c. 13. v: 26. dicit: *Poſuiſti in neruo pedem meum*, ſic metaphoricè vocat nervum contringentem, Pedū dolorem. Colligunt & dyſenteriam ex cap. 16. calculari dolori graviſſimo coniunctam, dum ver 14. dicit: *Circumdedit me lanceis ſuis, convulnerauit lumbos meos, non pepercit, & effudit viſcera mea.* Hyperbolicè hic deſignat calculum & dyſenteriam. Colligunt & maraſmum, ſive totius corporis marcorem ex ſiccitate & febri hectica, dum dicit c:19. v. 20. *Derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos.* Nempè abſumptis genis & gingiuis, toto corpore exhauſtus erat & exſuccus, ita vt oſſa cuti præ ſiccitate adhæreſcerent. Colligunt & morbum pedicularem ex eo quòd c. 3. v. 17. dicat. *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui comedunt me non dormiunt. In multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſuæ cinxerunt me.* Quaſi dicat: Pediculi & vermes non dormiunt, nec ceſſant me corrodere ac circumcingere, ſicut capitium quod collum ſtringit. Denique ex alijs locis conijcit Pineda Iob laboraſſe etiam lue venerea, angina, fame canina, igne ſacro, cancro, aſthmare, &c Vide eum in cap. 2. Iob. Hoc ſolum hic volumus, ſive in contagio, ſive in alio quolibet morbo, rectè nos convertere oculos in Iob exemplar omnis patientiæ, cum ſit *potens auxiliari in his omnibus in quibus & ipſe paſſus eſt*

Iob. 2. *S. Iob. multis morbis afflictus.*

Prophetæ. Denique invocandi ſunt Prophetæ, qui ſæpè hanc peſtilentiæ plagam populo imminētem prædixerunt, vt pœnitentia & lamentis converterentur ad Dominum, & eius vindices prævenirent manus. Atque ſuis lacrymis docebant populum quomodò Deum placarent, & varias plagas comminatas averterent. Sic Ieremias lamentatur ad Dominum pro plaga peſtilentiæ & famis avertenda, vt & ipſum populum provocet ad lamenta, & Deo excutiat flagella. Vnde ſic ibi ait: *Si iniquitates noſtræ contenderint contra nos, Domine fac propter nomen tuum quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ, tibi peccavimus Expectatio Iſrael, Salvator eius in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Domine Deus noſter.* Cum autem à Domino audiviſſet: *Noli orare pro populo iſto in bonum, Cùm ieiunaverint non exaudiam preces eorum & ſi obtulerint holocautomata & victimas, non ſuſcipiam ea, quia gladio & fame & peſte conſumam eos* Nihilominus poſtmodum ei iubet Dominus: Et dices ad eos verbum iſtud: *Deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem, & nō taceant, quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia populi mei, plaga peſſima vehementer. Numquid proiiciens abiecisti Iudam, aut Sion abominata eſt anima tua? Quare ergo percuſſiſti nos, vt nulla ſit ſanitas. Expectavimus pacem, & non eſt bonum: & tempus curationis, & ecce turbatio. Cognovimus Domine impietates noſtras, quia peccavimus tibi Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam ſolij gloriæ tuæ. Recordare ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum.*

Ierem. 14

Hæc ergo & ſimilia tempore afflictionis ex doctrina & exemplo Prophetarum Deo ſunt repetēda; atque ipſi Prophetæ & Patriarchæ tamquam Mediatores in auxilium vocandi, vt preces noſtras ſuis coniungant precibus, meritis & lacrymis, quas pro populo fuderunt coram Domino.

Orandum ergo hic & dicendum: *O Sancti Patriarchæ qui Deo gratiſſimi fuiſtis: Moyſes & Aaron, qui manus eius vindices ligaſtis, ſtando inter mortuos & vivētes: Iob ſancte qui omne tabidum genus morbi in corpore tuliſti: Rex & Propheta qui gladium peſtilentiæ tuæ à plebe precibus removiſti: Omnes denique Sancti Prophetæ qui nobis ad pœnitentiā Doctores & Doctores eſtis, eſtote nunc & Interceſſores ac Mediatores apud Dominum, vt avertat vindicem manū ſuā, oculoſq; benignitatis ſuæ ad nos cōuertat. &c.*

CAPVT V.

Qvintò invocandi ſunt Apoſtoli & diſcipuli Domini, de quibus dicit, *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* De cælo poſſunt manus imponere, ſuper tabeſcentes qualibet ægritudine & eos ſanare vel præſervare, qui id potuere dum in hac agerent lacrymarum valle.

De Invocatione SS. Apoſtolorum, ac SS. Martyrum.

Primò autem loco, & ſpeciali ratione invocandi ſunt SS. Petrus & Paulus; ille quia vel ſola vmbra poterat ſanare languidos, iſte quia illæſus à veneno ſerpentino etiam eſſet; vt exinde inſula illa à tali veneno foret libera. Nam Melitæ, ſive Maltæ, hoc conceſſum eſt meritis S: Pauli, vt ſerpentes & ſcorpiones qui alibi ſunt lethales ſint ibi innoxij, adeò vt quævis animalia venenata, etiam aliunde transportata venenum in Melita deponant, nocendique facultate deſtituantur. Incolæ illius inſulæ vocant id *Gratiam S Pauli.* An non igitur ipſe à contagio & veneno aëris inficiente poteſt nos liberare vel præſervare, qui & ſerpentes nativo ſibi veneno inficiant poteſt efficere? Ad Gratiam ergo Pauli confugiendum tempore contagioſo, ad Gratiam S. Petro & alijs Apoſtolis conceſſam, ac oratione humili eos invocando, dicendum eſt: *Sancte Petre qui vmbra ſanabas lāguidos, Sancte Paule qui illæſos à veneno etiam alios feciſti illæſos. Omnes Sancti Apoſtoli & Diſcipuli Domini qui impoſitione manuum ægros ſanaſtis, intercedite pro afflictis, &c.*

1. Invocādi SS Petrus & Paulus inter Apoſtolos Acto. 20.

Sunt & inter Martyres qui ſpecialiter hac in plaga opem ferunt, Invocetur S. Laurentius igne examinatus, vt ab igne peſtilentiæ dignetur nos eripere,

2. Inter Martyres

rentius. Coſmas & Damianus. S. Euſtach.

eripere vel tutari. Innocentur & inclyti illi Martyres, SS. Coſmas & Damianus, vt qui nobiles Medici fuere in terris, iam ſint nobis Medici de cælis in hac ægritudine immedicabili humana arte:

S. Euſtachius etiam piè hic invocandus, cui cum apparuiſſet Dominus mox à converſione, dixit ſe velle eum inſtar Iob probare, & Orbi vniverſo in exemplar patientiæ & portentum calamitatis exhibere. Cùm igitur rebus omnibus eius familia illuſtris foret & copioſa: repentè eam inuadit peſtis ſervos & ancillas omnes depaſcens, & totam domum vacuam reddens famulis. Deinde peſtis aggreditur pecora, equos & mulos, boues & oves, exeditque omnes eius greges, ita vt animalium poſſeſſio copioſa funditus interierit. Intellexit autem ipſe cum vxore, hoc eſſe principium & velut proëmium tentationum, ferebantque forti animo hæc omnia: adimplentes illud S. Iacobi: *Omne gaudiũ exiſtimate Fratres, quando in varias tentationes incideritis, ſciẽtes quòd probatio fidei veſtræ, patientiam operatur, patiẽtia autem opus perfectũ habet, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Hoc autem ſolum petebant ne eos deſereret gratia Dei, gratiaque tolerantiæ benignè eos aſpiciens, Ita Surius 1. Novemb.

Iac. 1.

S. Adrianus in Belgio.

In Belgio ſpecialiſſimè invocatur S. Adrianus, qui adeo potens eſt in morbo epidimiæ, vt ad corporis eius ſacrum pignus, quod Gerardimontibus in Hannonia requieſcit, & piè colitur, peregrinaetio ſit celebris. Novimus quoque & teſtari poſſumus parte brachij eius è nobili Lobbiẽſi Cœnobio (vbi notabilis pars pretioſè adſervatur) delata in varia loca peſte infecta, mox luem ſedatam fuiſſe, populis cæleſte auxilium agnoſcentibus. Teſtari id poſſunt Montenſes, Dionantenſes, Bellemontenſes, Anderlacenſes, & alij, qui hoc peſtilentiæ morbo afflicti, poſtularunt humillimè à Reverendo Præſule & Conventu Religioſo Lobbijs, vt ad illos pretioſum illud pignus deferri permitterent. Quod quidem magno cum fructu factum fuit. Luxenburgenſis quoque Civitas, ſiue Primores illius, paucis abhinc annis afflictiſſimi miſerunt ſpeciali legatione ad Adrianum Gerardimontes, appendentes eius Tholo & ſacræ Aræ ſymbolum ſuæ devotionis Cordis effigiem quamdam auream operoſè & affabrè factam, vt Cordium afflictorum languoribus graviſſimis in civitate ſua ac Provincia ſubvenire ſuo dignaretur patrocinio.

S. Sebaſtianus.

Invocandus denique S. Sebaſtianus, vt qui telis adeo inhumaniter transfixus fuit, iræ divinæ ſagittas à nobis ſuis avertat meritis. Hoc enim ſuâ promeruit paſſione & patientiâ. Notum eſt ex Paulo Diacono lib. 6 & ex alijs Hiſtoricis, quòd Anno Domini 680 menſe Iulio, poſt Lunæ Eclipſim, peſtis ingens vaſtarit Romam, & nonnullas Italiæ Civitates. Tanta autem morientium erat multitudo, vt parentes cum filijs, fratres cum ſororibus bini per feretra ad ſepulchra ducerentur. Tũc quoque viſibiliter multis apparuerunt Angelus bonus & malus, noctu per ciuitatẽ pergẽtes. Ex iuſſu boni Angeli quoties malus Angelus venabulo quod manu gerebat, oſtium cuiuscumq; domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſubſequenti homines interibant. Per revelationem autem cuidam dictum eſt, peſtem non ceſſaturam, priuſquam in Baſilica S. Petri ad vincula, S. Sebaſtiani Martyris altare erigeretur. Ita factum eſt, & delatis ad Vrbem S. Martyris Reliquijs altarique erecto quievit lues peſtifera.

Quieſcit caput S. Sebaſtiani Epternaci in Ducatu Luxemburgenſi, quod S. Wilibrordus à Sergio Papa diſcedens Roma dono accepit. Illud autem, vt peſtis epidimica graſſari vſpiam incipit, frequẽti peregrinatione & concurſu colitur, vt S. Sebaſtiani interventu Chriſtianus populus à periculo liberetur. Quod quidem ob glorioſi Martyris merita elargiri ſolet Deus. Teſtis eſt Brethelius in Hiſtoria Luxemburgenſi.

Ergo & tunc oportuna erit hæc oratio: *S. Sebaſtiane, Martyr inclyte, tuis meritis auerte à plebe tibi deuota ſagittas iræ diuinæ: S. Laurenti intercede pro nobis, vt liberemur ab igne peſtilentiæ: S. Adriane potens apud Deũ in noſtra afflictione adiuua nos apud illum pro auertendo morte epidimiæ. Voſq; ô nobiles & illuſtres Medici, SS. Coſma & Damiane, eſtote nobis de cælo Medici pia interceſſione. Omnes Sãcti Martyres interuenite pro afflictis, hoc enim apud Deum promeruiſtis veſtro pro eo profuſo ſanguine.*

CAPVT VI.

De Invocatione Sanctorũ Pontificũ ſeu Epiſcoporum qui in Patronos ſunt electi.

SExtò ſpecialiter hi in auxilium vocandi ſunt qui Patroni ſunt locorum in quibus agimus, in quorum honorem Templa & Altaria erecta ſunt, atque quorum ſacris ibidem gaudemus Reliquijs. Hi nempe populum in ſuã protectionem receperunt, contra aduerſa tam corporis quam animi, vt ſub manu & tutela eorum iter arripiant æternitatis. Ergo ſpecialis devotio eis debetur, vt amoliantur à nobis flagella divinæ indignationis, quæ peccatis noſtris in caput noſtrum accerſivimus: & benedictionem nobis impetrent ac defenſionem.

Quòd autẽ dicimus invocandos eos ſingulariter quorũ gaudèmus Reliquiis ſacris, docuit S. Ambroſ. dum lib. de viduis c. 8. dicit: *Obſecrandi ſunt Martyres quorum videmur quodam corporis pignore patrociniũ vendicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine ſi qua habuerunt peccata, lauerunt.* Quod de Martyribus dicit, idem dicimus de alijs Sanctis: Illos enim habemus ſpeciale patrocinij, ſi eorum pignora ſacra corporis & exuuiæ apud nos quieſcant cum honore. Vnde & in flagellis ſolent nobis eſſe auxiliatores oportuni.

Leodienſis Diœceſis tutelares.

Sic meritò in Diœceſi noſtra Leodienſi invocantur ſpecialiter. S. Lambertus, S. Hubertus. S. Servatius, quorum ſacris corporibus gaudet Diœceſis illa, quique ſe ſe ſæpius Tutelares Diuos in flagellis & adverſis exhibuere, & potentes apud Deum Mediatores & Interceſſores.

Sic in oppido noſtro meritò & quidem ſingulariter